Codice scheda: ASC A4560309 (Microscheda: 3964C5/6)
Luogo e data: TORINO - 03/12/1899
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: PUZYNA GIOVANNI
Classificazione: Rua: Corrisp. con Nunzi-Vescovi-Autorità
Tipo documento e supporto: Lettera spedita - Copia fotostatica
Autenticità: Copia

Contenuto: Presenta al Vescovo di Cracovia il Confratello inviato ad Oswiecim, D. Manassero E., facendolo accompagnare da D. Durando C., membro del Capitolo Superiore. (testo latino).

Antistes Praestantissime

Reverendissimi Parochi Knycz consilia secutus, sacerdotem illum, de quo paucis abhinc diebus in alia mea epistola Excellentiae Tuae verba faciebam Oswięcim mittere festinavi. Ipsemet est qui Tibi has meas litteras exhibebit, et Emmanuel Manassero vocatur.

Vel a teneris annis sub nostra disciplina humaniorum litterarum rudimenta didicit, et semper veluti omnium virtutum exemplar a magistris ac condiscipulis suis habitus est. Postea Romam se contulit, ut philosophiae ac Theologiae operam navaret in Gregoriana Universitate, et utriusque lauream consecutus est. Nec est praetereundum Emmanuelem nostrum apprime Legiferi Patri Joannis Bosco spiritu esse imbutum, ac in sua vocatione undequaque stabilem. Nec eius juvenescentem aetatem extimescas; senior haud facile polonam linguam disceret.

Hunc dilectum filium meum Excellentiae Tuae admodum commendo. Pro illa, qua praeditus es, benignitate et charitate eum, ut unum ex sacerdotibus tibi concreditis, suscipe, et ad bonum agendum dirige.

Emmanuelem Manassero comitatur Sacerdos Caelestinus Durando, unus ex primoribus Joannis Bosco discipulis, quique vel a Piae nostrae Societatis initiis Rectoris Maioris Assistens a sociis fuit electus. Quum innumeris curis distentus mihi non liceat domo discedere, Bosiginum eum mitto, ut Superioris Generalis partes agat.

Tuis pedibus provolutus et sacrum annulum exosculans, ut mihi et meis omnibus tuam benedictionem impertiri digneris, enixis precibus exoro.

Dabam Augustae Taurinorum die
III Decembris anni 1899

Tibi addictissimus et humillimus servus
Sac. Michaël Rua

Archivio Salesiano Centrale - A4560309 - 2